annis cum laude anteacta non ſarciet fortaſſe ictum, quem læſus homo temporis momento accepit. Sed omnes oculi inhærentes veſtigiis illius, non ita facile patienter ſe decipi, ut fuere decepti? Verum miſſile contortum in illum, aliquam ſemper cicatricem relinquet. Aliqua ſemper virtutibus nota ſupererit; & cum ſemel accuſatus fuiſti gravis alicujus criminis, in quo puritas, fidelitas, rectitudo læſa fuerit, numquam ferme deletur impreſſio tota, quam criminatio illa in animis peperit. *P. la Peſſe.*

*Detractio quodam in ſenſu cauſa eſt, propter quam in ipſis criminibus triumphatur.*

Scimus detractionem libenter in mundo audiri; quemque adniti, ut in dies fiat jucundior; enarrationem narratione expectari, urbes plenas eſſe quadam ſcurrarum ſpecie de cætu in cætum, de regione in regionem euntium, ut varios caſus colligant, & effundant; ſed quam ipſi injuriam homini inferemus, ſi illius exiſtimationem tradiderimus tot linguis jam exacuatis ad eam dilaniandam? Hoc pacto, S. Joannes Chryſoſtomus inquit, auctoritatem tribuimus vitio, non ſolum detractionis, ad quam natura ipſa proclives ſumus ob propriam noſtrummet exiſtimationem, verum etiam vitiis omnibus, quæ in ſæculo dominari conſueverunt. Qui male vivunt, hac de cauſa animum obfirmant ſuum in ſceleribus, quia ſibi perſuadent, non deeſſe ſimiles ſibi in ſuo vivendi genere: *Segnior ſis, peccati communicatorem nactus.* Impudicus, qui prodit in ſcænam, audaciorem efficit impudicum, qui ſpectator ſedet. Quot adoleſcentuli pudoris fræna laxarunt, poſtquam impudice factum narrari audiverunt? Hinc ſimus ſcandali cauſa viris bonis, qui intumeſcunt, ac ſuperbiunt, cum ſe vident vacuos iis criminibus, de quibus loquimur. Hinc magnum detrimentum univerſæ afferimus Eccleſiæ: facimus enim ut impii atque hæretici triumphent, detegentes improbas actiones, quas fideles ipſi commiſerunt. *Idem ibidem.*

*Hom. 3. ad Pop. Antioch.*

*Detractio eo turpior eſt, quo detrahitur, magis abeſt.*

Omnia in detractionis vitio turpia ſunt, quamvis regnet in cætibus ampliſſimis, & honeſtiſſimis. De abſente loquimur, qui ſeipſum tueri nequit, & qui non diffidit de nobis, qui ſi ſciret, quid in ipſo a nobis reprehendatur, ſeipſum fortaſſe corrigeret; qui fortaſſe innocens eſt, & quem ipſi nonniſi ex aliquorum fide cognoſcimus, quorum intererat illi fidem adimere. Nonne ſumma hæc ignavia eſt? Nonne factum hoc eſt indignum non Chriſtiano dicam, ſed honeſto viro? Præbemus procul dubio pergratum iis cætibus, in quibus ſumus ſpectaculum; cum aliquando præſenti blandimur, eumque laudibus attollimus abſentem vero ſatyrico ſale perfundimus. Sumptibus illius ex toto conventu riſum elicimus, ubi ingreſſus eſt, alium vocis tonum uſurpamus. Affectatum officium mordaci irriſioni ſuccedit. Partes noſtræ noſtram omnino decent perſonam. Cum arte detrahimus, ut pro virili ſcelus noſtrum tegamus; atque ægre ferremus, ſi tales haberemur, quales ſumus; & inviti licet agnoſcimus magnum eſſe pudoris argumentum alienæ exiſtimationi nebulas offundere. *Pater la Peſſe. Tomo* 4.

*Quibus artibus detractio utitur, ut iis, quæ dicit habeatur fides.*

Simulata hypocritaque modeſtia, quæ nobiſmet exprobrat ſermonum noſtrorum horrorem, & quæ indicium eſt timoris ejus, quo veremur, ne in caput noſtrum probrum incidat, aliis detrahimus. *Videas præmitti alta ſuſpiria; ſicut quadam cum gravitate, & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſuperciliis, & voce plangenti egredi maledictionem?* Quod ſcurrilitatis genus; ex imo pectore ſuſpiria emittere; humi oculos figere: gravem habitum oris aſſumere, voce gemitum imitari; idque ut tuto alienæ exiſtimationi officiatur. Ita detractorem videmus, cenſorio habitu calumniam, libellum offundere, & pia cura efficere, ut in eorum incidant manus, qui fallaciæ fraudem inveſtigare non poſſunt. Quid conatur detractor? Sibimet perſuadere ſe iis eſſe immunem criminibus, quorum nomine alios inſimulat; & hanc ob cauſam eo magis infamiæ nota adſpergimur, cum alios adſpergere conamur. Omni ratione, ac ſenſu careat opus eſt ille, qui non intelligit quidquid fratribus noſtris exprobramus, verius noſtram, quam illorum partem eſſe. Si proximo detrahere poſſemus citra Dei læſionem, facinus venia dignum eſſet; ſed inter duas haſce perſonas adeo arcta conjunctio eſt, ut prima Chriſtianæ religionis principia nobis ſufficere debeant, ut deteſtemus morum diſciplinam adeo alienam, & hactenus illis etiam ignotam, qui Ethicæ ſuperſtitionis tenebris impediri ſunt. *Idem ibidem.*

*S. Bernard. Serm. 24. in Cant.*

*Hæretici omnium detractorum nequiſſimi, & quare.*

Hæretici qui præ ceteris morum reformationem crepant, ſunt detractorum omnium nequiſſimi, & detractiones ſuas majori cum fragore perſonare faciunt. Fanda, infanda, omnia ipſis licent. Nobis autem mirum eſſe non debet, ſi qui Eccleſiam lancinant, non parcunt illis, qui honore fruuntur in filiorum ejus numero adnumerandi. Videntur hypocritæ; vera enim virtus non lædit charitatem. Videntur, inquam, hypocritæ, qui ſibi pietatis praxim concinnant Deum colendi iis victimis, quas amori proprio, quas invidiæ, quas iracundiæ, quas falſo ſuo immolant zelo. Quidquid illos offendit, offendit etiam Evangelium; & Evangelium, eorum more interpretatum illis præcipit, ut promiſcue lancinent eos omnes, qui ipſorum menti, vel cupiditati ſe minime accommodant. Eorum tela plerumque maxime profunda, ac periculoſa inferunt vulnera; quia minus timentur, & callidius veneno imbuta ſunt. Curam etiam gignunt cum videntur ingruere, adeo belle doloſis ſpeciebus involuta ſunt. Vir ille, inquient, omnibus eſſet numeris abſolutus, ſi hanc in ſe corrigeret infirmitatem. Veritas eſt, illum huc uſque proceſſiſſe? ſed deplorandus eſt. Quantum mali, quod levis cupiditas, & propenſio animi illum huc uſque perduxerit! Hoc factu incredibile videretur, niſi cordati viri id teſtarentur, tandem hoc malum eſt; & ſummo dolore conficior. *P. la Peſſe Tom.* 4.

*Detractor in ſe ipſo ſemper luit pœnas injuriæ, qua proximum afficit.*

Quis umquam ſibi ſolatium afferre poterit ſaucio tuis crudelibus detractionibus, & calumniis, quas ſuper proximi tui exiſtimationem effudiſti: Donec conſcientia jucundum præbebit teſtimonium illis, quorum res præclare geſtas detractionibus tuis veneno infeciſti: indeſinenter conſcientia tua exprobrabit tibi injuriam, qua illos affeciſti. Non poteſtis videre illos, quin in vobiſmetipſis dicatis: hæc illa triſtis eſt victima, qua litavi imprudentiæ meæ, vanitati, invidiæ, vindictæ. Ego illi contumelioſam affinxi labem, quæ illam dedecorat; labem, quæ illi tot peperit contemptus, atque repulſas, labem, quam lacrymæ meæ delere non poſſunt; labem, quæ in me aliquando reſiliet, & propter quam fortaſſe pœnas æternæ infamiæ ſuſtinebo. *Idem ibidem.*

*Detractio oritur ex ſecreta in animos dominandi libidine.*

Quid dici poteſt de detractionibus, & ſale ſatyrico, quo plerumque mortalium colloquia condiuntur; niſi dixerimus, illas fortaſſe ex infinita ſuperbia, & ſecreta in animos dominandi libidine proficiſci? Quodnam enim aliud habere poſſent principium? Num procedunt ex vera cupiditate aliena crimina corrigendi? Hoc in caſu qui peccaſſet, ſumma cum prudentia, & lenitate clanculum corripiendus eſſet, quin per inanem, ſævamque commiſerationem crimen ipſum in vulgus proferretur. Num procedunt ex animæ ſinceritate facta ſimpliciter enarrantis ſine ulla nocendi intentione? Præterquamquod hæc ingenua ſinceritas pluribus in locis eſt vituperanda, hi ſpiritus, de quibus loquimur, numquid habent illam, qui illam habere deſinunt, cum iis, de quibus detrahunt, plures, quam audire vellent, laudes deferuntur. Procedunt ne ex Dei ſpiritu, qui mala a bonis operibus tanta æquitate, atque ſapientia novit ſecernere; ut juſtiſſime alia commendet, condemnet alia? Profecto methodum hanc ſe ſequi pii hujuſmodi cenſores gloriantur; ſe quidquid faciant, facile eſt deprehendere, illos ſecretam ob artem loqui, ſicut olim dæmon primos parentes noſtros allocutus eſt. Hic in fatali eo colloquio nequaquam dixit: Deus injuſtus eſt: illis tantummodo quæſtiones, ac dubitandi rationes propoſuit, ut ſenſim, & callide perſuaderet illis, quod palam dicere non audebat. *Quid præcepit vobis.* Si Deus juſtus eſt, cur vetuit, ne comederetis ex fructibus omnibus, quos ille poſuit in Paradiſo voluptatis? *Sermones Morales. Tom.* 4.

*Subdolæ artes, quibus detractores virus ſuum in mentem aliorum infundunt.*

Quibus artibus non utuntur detractores, & critici, ut in audientium animos blande virus inſtillent, quo imbuti ſunt? Nolunt dicere de judice hoc, ab illo venundari juſtitiam; de hac puella, corporis quæſtum ab ea fieri; de hac muliere, hypocriſi pietatem ſimulari, de Concionatore hoc, parum ſanam illius eſſe doctrinam, vel plagiarium eſſe, alienoſque labores pro ſuis venditare; ſed in colloquiis ſuis efficiunt, ut ultro incidant quæſtiones, & ſcrupuli ſui ut illis, cum quibus adeſſe conſueverunt perſuadeant, quod dicere non auderent. Judex hic in judiciis recte ferendis conſultiſſimus eſt; nihil mali facit, niſi quod vult; ſed cur inquiunt? Cur favet



vet illis, quos commendatos habet? Cur ſemper ſollicitudinem oſtendit ſuam, ut in rebus etiam injuſtis indulgeat amico, qui ſeſe illi devovit? Puella hæc modeſta eſt; animum inducere nequeo, ut mihi perſuadeam, illam fontem eſſe ejus criminis, quo fieret totius civitatis fabula. Sed cur? Cur privatas fovet neceſſitudines cum illo, qui plus æquo liberam trahit vitam? Cur hanc colit amicitiam, quæ peſſime audit. Mulier illa devota eſt, & charitate plena; ſed in ejus pietate nimium adfectationis ineſt, vel nimium minuſcularum ſuperſtitionum. Liber hic ſatis bonus eſt; ſed quidquid boni illi eſt, ab alio eſt auctore; hæc non eſt niſi congeries quædam ex aliorum ſcriptis conſarcinata. *Ibidem.*

---

# DEVOTIO,

## PIETAS VERA, ET FALSA DEVOTIO.

### MONITUM.

*A Rgumentum hoc, quod nullus fere ex veteribus Concionatoribus attigit, hodierna die ita vulgatum eſt, ut de eo integræ paſſim conciones audiantur. Ipſi etiam Sancti Patres nequaquam locuti ſunt de devotione eo in ſenſu, in quo iſthic accipitur niſi ſub nomine Chriſtianiſmi, vitæ, virtutiſque Chriſtianæ, vel Profeſſionis Religionis illius, quam ſumus amplexi. Hodie vero cum concionatoribus Moralis maxime arrideat, turpe rati ſunt eam præterire virtutem, quæ inter illas, quæ morales vocantur, principem obtinet locum; Religionem videlicet, quæ Dei cultum reſpicit, cujus præſtantiſſimus, atque excellentiſſimus actus eſt devotio.*

*Ut argumentum hoc utilius fiat, de devotione agemus, non autem in eo ſenſu, in quo vulgo uſurpatur pro affectione erga preces, vel proprio ille ſenſu, quam viri boni Orationi Mentali vacantes percipiunt; ſed pro publica profeſſione, quæ fit, fidelis, ferventiſque Chriſtiani officia adimplendi, atque bona opera exercendi; hoc enim devotum eſſe, & colere devotionem ſignificat.*

*Verum cum facile, immo etiam frequentiſſimum ſit, a vera via recedere, ſeipſum fallere, aliiſque etiam in hac re imponere; quippe virtus hæc inter graviſſimorum, ac pernicioſiſſimorum vitiorum confinia poſita eſt: loquemur etiam de devotionis defectibus; nec non veræ falſæque devotionis notas trademus. Quod autem ad hypocriſim pertinet, quæ vitium eſt illi maxime oppoſitum, & quod ſæpe tribuit occaſionem in ſuſpicionem vocandi pietatem ipſam, quæ maxime ſincera, ſanctaque habetur; ſeorſim de eadem peculiari titulo agemus, non ſecus ac de fervore; uberrimam enim rerum copiam utrumque hoc argumentum ſuppeditat. Denique ſicuti nullum invenit finem obtrectatio, ubi hanc rem attigerit; Concionatori ea ſuppeditabimus, quæ ſatis, ſuperque eſſe valeant ad devotionem tuendam, docendoſque Auditores, quid facto opus ſit, quid non item, ut ſint vere devoti.*

### PARAGRAPHUS PRIMUS.

*Varia Concionum hujus argumenti Syſtemata.*

I. PRO concionis argumento provinciam aggredi poſſumus; 1. Tuendi devotionem contra impios, & flagitioſos homines, qui, cum omni prorſus pietatis ſenſu careant, ubique in jocum traducere conantur nequiſſimis irriſionibus, impiiſque dicteriis eos, qui palam eam profitentur. 2. Eos conſolandi, qui hujuſmodi aculeatis ſermonibus impetuntur, & qui vel a Dei ſervitute recedere poſſent, vel ſanctas exercitationes ſuas relinquere propter adeo obſtinatæ perſecutionis timorem.

In parte priori oſtendi poteſt; 1. temeritas judiciorum, quæ ab impiis fiunt de piorum hominum devotione ſecundum nefariam, quam & ipſi animo imbiberunt devotionis ideam, & aliis conantur ingerere. Si enim Dei jura invadere eſt de interiori fratris ſui pietate judicium ferre, cum etiam aliqua ſuppetit cauſa exprobrandæ actionis, quæ extrinſecus quidem videtur ( niſi etiam re ipſa ſit ) prorſus inexcuſabilis; quo potiori jure dicendus eſt ille ſibi divinam vindicare auctoritatem, & iniquum ferre judicium de agentis intentione, cum externa ſpecies bona ſit, atque irreprehenſibilis? Quid autem? Charitas jubet, intentionem ſaltem excuſari, cum factum ipſum laudari, probarique non poteſt; & licebit credere, pravam eſſe intentionem, cum actio exterior recta ſit, qualis eſt cultus, qui defertur Deo, ſedula in religionis officiis opera, fidelis divinarum legum obſervantia, vel naturale illud ſtudium, quo nonnulli ad pietatis exercitationem trahuntur? S. Paulus eos accuſat, qui de fratribus ſuis male judicant ex ſola externa ſpecie, quaſi illi rei eſſent ejus criminis, de quo alios inſimulant; quid igitur dicere potuiſſet de illis, qui adeo lævum judicium ferunt ex iis actionibus, quæ non ſolum innocuæ ſunt, verum etiam piæ, & ſanctæ? Nonne hoc eſt de ſanæ mentis judicio prorſus eſſe dejectum, ſimilemque iis eſſe, qui per coloratam cryſtallum intuentes objecta, omnia colore imbuta conſpiciunt? Hoc eſt, de mortalibus omnibus judicant ſecundum animi ſui diſpoſitionem; impii ſunt, ideoque mortales omnes impios eſſe ſupponunt. 2. Eorum ſuſpicio non ſolum temeraria eſt, verum etiam injuſta: ex illis enim quæro, utrum quod mercator aliquis ipſis fucum fecerit, poſſint ideo jure mercatores omnes doloſos eſſe arbitrari? ſi Judex aliquis muneribus ſe corrumpi paſſus fuerit; ſi Eccleſiaſticus arecto virtutis tramite aberraverit, utrum Judices omnes tamquam iniquos, & Eccleſiaſticos tamquam ſuo indignos caractere poſſint exiſtimare? Quemadmodum laboraret argumentum, ſi ex aliquorum vitio generalis erueretur illatio; ita neque recte argui poteſt, quod nonnulli devotione abutuntur, ideo devotos omnes, vel hypocritas eſſe, vel avaros, vel inurbanos, & humanæ ſocietatis oſores: ac tandem nullam eſſe ſinceram devotionem, nullam veram pietatem. Longe aliter S. Auguſtinus argumentatur, uti illuminatum Theologorum decet: ait enim, veritatem mendacio, & ſinceritatem calliditati præceſſiſſe, neque ſciri unquam potuiſſe, utrum falſi exiſterent devoti, niſi primum exploratum fuiſſet, veros adeſſe; neque ullum in devotione futurum fuiſſe abuſum, niſi fuiſſet compertum, non deeſſe quamplurimos, qui eadem utantur egregie. 3. Impii ex nequitia & devotione obloquuntur, eoſque irridens, qui eam propalam profitentur. Quorſum enim eorum ſpectat obtrectatio, niſi ut ſua excuſent flagitia, ac fidem adſtruant, viros bonos, & qui frugi vivunt, ipſis meliores non eſſe; ſed eſſe tantum in ſceleribus ſuis contegendis callidiores. Excuſationem igitur dumtaxat, vel prætextum ſceleribus quærunt, eumque ſe inveniſſe arbitrantur, cum aliquid minus rectum excidit illis, qui religio-

gioſius vitam ducere exiſtimatur; ideoque illos in ludibrium traducunt, atque in cœtibus omnibus irrident; ac ſe jure pietati, officiiſque omnibus ſidem abrogare poſſe opinantur.

Pars altera eos conſolari debet, qui pietatem profitentur, eoſque contra impiorum dicteria confirmare; ideoque 1. illos hortari, & excitare ad perſecutionem hanc propter Deum æquo animo ferendam, illis ob oculos ponendo, ac in mentem revocando, mirum non eſſe, quod, cum Chriſtiana Religio ab ipſis uſque incunabulis per tot ſæcula fuerit exagitata, devotio, quæ illius actus eſt, & publica profeſſio, ubi in praxi exerceatur, linguis impiorum, ut olim Religio Tyrannorum cruciatibus, torqueatur; & quomodo olim fidelibus graviſſima ingerebantur crimina, hodie nulla ſint ſcelera, quæ devotis falſo non imputentur; ac tandem noſtram in hoc requiri conſtantiam, noſtramque in Dei ſervitio fidem, ut conſtanter impiorum irriſiones patiamur, quandoquidem pro illius amore parati eſſe debemus ſuppliciis omnibus, ac ipſi etiam morti ſubeundæ. 2. Oſtendendum eſt, illos ex irriſionibus, atque contumelioſis impiorum dicteriis ſaluberrimum haurire poſſe documentum; ſi enim ulli ſunt ex iis defectibus quorum inſimulantur, obnoxii, ſeſe corrigere poſſunt; ſin autem præclaram habent bene merendi, & ad virtutem progrediendi occaſionem. 3. In hoc ipſo conſolari eos poſſumus, quod ſimiles ſunt JESU CHRISTO &c.

II. Alterum argumentum haud ita diſſimile priori. 1. Sunt, qui devotionem damnant, atque vituperant; & contra hos illius cauſa eſt peroranda.

2. Sunt, qui eam perhorreſcunt, ac ſe ſe eidem mancipare detrectant propter auctoritatem, quæ illi ineſſe arbitantur.

Pro parte priori. Devotionem conſiderant, quaſi Deo injuriam afferat, illam hypocriſis inſimulantes, quaſi ſincera non ſit. Quis eos judices conſtituit? quo jure hanc ſibi vindicant auctoritatem, cum Dei unius ſit cor ipſum, atque intentionem ſcrutari? Si quæ ſunt falſæ devotiones; num ideo nullæ ſunt veræ? Ad hæc damnatur quaſi proximo incommoda: ad quam criminationem diluendam oſtendendum eſt, illam in charitate eſſe peculiariter poſitam, omneſque eas habere qualitates, quas amabili huic virtuti S. Paulus attribuit. Denique redarguitur quaſi ſibimet nimis indulgeat, mollis ſit, & delicata: e contra vero oſtendendum eſt, illam in ſeipſam ſeveram eſſe, ac ſine mortificatione eſſe non poſſe.

Pro parte altera, quæ ad eos ſpectat, qui eidem ſeſe addicere metuunt propter labores, & cruces, quæ ſubeundæ ſunt, ut tot officiis, atque exercitationibus ſeſe ſubjiciant; oſtendendum eſt, multo majores in Mundi, quam in Dei ſervitute ferendos eſſe labores, Deum vero mitiſſimum eſſe Dominum omnes mulcentem curas, quę propter ipſius amorem ſuſcipiuntur.

III. Oſtendi poteſt in quo vera devotio conſiſtat: ex quo facili negotio dignoſci poterit a falſa, ac de utraque, & in notis, & in aliis judicium ferri.

Primum ea vera eſt devotio, quæ nos ab omnium creatarum rerum affectione divellit, quę a mundanis ſocietatibus amovet, quæ generalem nobis immittit divitiarum, pomparum, voluptatum, omniumque mundi ſolatiorum contemptum. Antequam huc pervenerimus, nequaquam putandum eſt, nos vere devotos eſſe; & niſi hæ notæ liquido appareant, æqua ſemper remanet cauſa de veritate devotionis ſuſpicandi.

Secundo, vera devotio nos Deo adnectit per cultum ſincerum, qui ex ipſo corde, apertaque, fideli, & conſtanti profeſſione procedit.

Tertio in id præſertim incumbit, ut interiorem efformet hominem, paſſiones evincat, cupiditatem omnem, ac propriam voluntatem abjiciat: Verbo; vera eſt abdicatio noſtrummetipſorum, ut Deo uni vacemus, noſmet eidem devoventes; unde etiam devotionis nomen profectum eſt.

IV. Devotio cum ex Divo Bernardo virtus ſit propria cordis: *Res eſt cordis gratia devotionis*, habere debet qualitates cordis, ac particeps eſſe omnium motuum ipſius, ideoque.

1. Quemadmodum cor abditum eſt, devotio quoque principium habere debet in parte interiori; & uti loquitur Evangelium, nonniſi ex abundantia cordis extrinſecus ſeſe proferre. Hoc ſi abſit, affectatio mera eſt, hypocriſis, velum & larva pietatis.

2. Quemadmodum cor ordinatum eſt conſtans, ac uniforme in motibus, naturalibuſque operationibus ſuis; pietas quoque, & vera devotio ordinata eſſe debet in bonis operibus, in precibus, in cultu, quem defert Deo, & in officiis illis, quæ proximo præſtat; quidquid enim abnorme eſt, ac ex mera libidine fit, hoc Deo eſſe nequit acceptum.

V. Anima vere devota ſimilis eſt Virginibus ſapientibus, de quibus loquitur Evangelium, quibus nihil antiquius fuit, quam ut alerent lampades ſuas: 1. lumen, quod hominem ſincere devotum illuſtrat, ſublimis eſt de Deo conceptus, qui efficit, ut ſe beatos putent, qui eidem famulantur, idque ſibi gloriæ vertant, & quacumque in occaſione præſeferant. 2. Ardor, quo anima flagrat, magnus eſt fervor in illius ſervitute, qui ad eas omnes actiones nos excitat, quibus illum colere poſſumus; efficitque, ut omnes ſuperemus obices, illis adverſantes conſiliis, quæ ad gloriam ipſius procurandam concepimus. Hæ ſunt partes duæ veram devotionem conſtituentes, notæque, vel effectus duo ſpiritus Dei: cum e contra cæcitas, atque tepiditas, cum de pietate ſermo eſt, hanc vel modicam eſſe, vel omnino nullam ſignificent.

VI. Tria ſunt hominum genera devotionis abrogantium fidem; videlicet 1. Impii, qui illam ſuis obtrectationibus proſcindunt, ut vitia, ac iniquitates ſuas quodammodo excuſent: 2. Hypocritæ, qui efficiunt, ut illius indigna concipiatur idea, ſecreta flagitia affectatæ pietatis velamine contegentes. 3. Ignavi, atque inertes, qui eam ſibi fingunt nimis moleſtam, atque auſteram, atque hoc prætextu abutuntur, ut illam prorſus abjiciant. Primi refellendi ſunt conſilii eorumdem improbitatem oſtendendo. Secundi confundendi ſunt, probandumque ab illis in pretio haberi virtutem, quandoquidem eadem ſeſe cooperire contendunt. Tertiis vero auferendus eſt error, ac demonſtrandum, devotionem non eſſe tam auſteram quam ipſi opinantur.

VII. Pro tribus concionis partibus, deſumi poſſunt tres hæ veritates, quæ communi quodam vinculo ſibi cohærent, ac ſeſe invicem conſequuntur.

Veritas prima; devotio vera non eſt, niſi ſit in corde; quæ conſtans eſt veritas, quod in ſpiritu, & veritate oportet adorare. Hoc ſi deſit, diſſimulatio eſt, & Hypocriſis in oculis Dei abominabilis.

Secunda: Devotio in corde vera non eſt, niſi per exteriorem cultum ſeſe prodat; Hoc eſt niſi extrinſecus ea pietatis expleat officia, eaſque exercitationes, quas Religio a nobis depoſcit.

Tertia; Deo accepta non eſt, neque coram proximo ſuavem poteſt odorem effundere, niſi ſtatui, & conditioni noſtræ ſit accommodata. Hæc concionis ſtructura ea omnia complecti mihi videtur, quę in hoc argumento dici poſſunt.

VIII. Poſſumus etiam amplificare tres illas veritates, quæ ſequuntur, atque ex illis concionem elucubrari.

1. Devotio ſtatuum omnium, & conditionum eſt propria; & nihilominus plurimi inter clauſtra remittunt illam, quaſi Cœnobitarum tantummodo propriam.

2. Omnium ætatum eſt; atque in ſenectutem rejiciunt.

3. Cujuslibet generis ingeniorum; ac ſimplicium dumtaxat eſſe opinantur. *Ex Morali Dictionario.*

IX. Quamvis devotio quaſdam notas habeat æquivocas, & ficta veram ita ſedulo imitetur, ut alteram ab altera ſecernere non levis ſit operæ; non deſunt tamen notæ quædam adeo apertæ propriæque veræ devotionis, ut iis decipi difficile ſit.

Prima eſt, integerrima generoſitas, qua anima Deum tantummodo quærit, quin terrenarum rerum ullum ſibi finem proponat; & proximo inſervit, quin ullam utilitatem expectet. Ficta e contra pietas ſemper eſt quęſtus avida; ideoque jure ſuſpicione non caret.

Altera eſt humilitas ſine affectatione; non enim quærit ea facere, quæ videantur, & unde honorem aucupari poſſit, ſed humillimis pietatis operibus vacat.

Tertia eſt charitas mitis, quæ omnem in ſe adhibet ſeveritatem, omnemque in proximos indulgentiam. *P. Bourdalove Sermone pro feria 5. poſt tertiam Quadrageſimæ Dominicam.*

X. Duo præſertim inſignes defectus occurrunt, qui devotionem corrumpunt, atque eam fictam eſſe, & eum, a quo exercetur, in errore verſari palam oſtendunt.

Prior eſt, ſumma religione ſervare, quod conſilii eſt, cum interim quod pręcepti eſt, impune violetur; vel potius additamentum ei præferre, quod caput eſt, & quod levis eſt momenti iis, quæ ſummæ ſunt neceſſitatis, anteferre.

Poſterior, ſanctitatem, atque perfectionem extra ſtatus ſui fines inquirere, ita ut conditionem ex devotione, non autem devotionem ex conditione propria metiamur. *P. Girouſt, Sermone de vera, ac falſa pietate.*

XI. Tria etiam conſiderari poſſunt perſonarum genera, devotione abutentium, in quibus illa æque deſideratur.

Primi ſunt illi, qui exteriora tantummodo quærunt, quin ſolidum, nempe charitatem, aliaſque virtutes ſectentur, minutas exercitationes, & nugas, quæ nonnumquam ſuperſtitionem redolent, religioſius inquirentes. Hi ſunt ſpiritus imbecilles.

Secundi, illi ſunt, qui ſolidum, & quod maxime eſſentiale eſt, conſectari affirmantes, externam omnem devotionis ſpeciem contemnunt ac volunt pietatem omnem intus latere. Horum manifeſtus eſt error; ſe quidem vere devotos eſſe jactitant, ſed ipſa magis communia devotionis exercitia dedignantur.

Tertii utriſque opponuntur: devotione abutuntur, ut inertiam ſuam contegant, & ſtatim ac piorum hominum ſpeciem induerunt, nihil eorum faciunt, quæ juxta officii, atque conditionis ſuæ ſtatum deberent efficere. *Maimburg Sermone pro feria ſecunda majoris hebdomadæ.*

XII. Religio eſſentialia duo officia complectitur, alterum quidem erga Deum, alterum erga proximum: 1. Deo quidem debemus amorem, ſupremum cultum, atque integrum noſtrummetipſorum, omniumque facultatum noſtrarum ſacrificium, quod illi exhibemus interiori pietate. 2. Proximo vero debemus virtutum, & pietatis exempla, quæ quidem illi ſuppeditamus omnibus veri Chriſtiani muneribus exemplari devotione perfungentes, quæ ideo ſeſe extrinſecus etiam prodere debet. *Deſumptum ex Chriſtianis Sermonibus, Sermone de Hypocriſi.*

XIII. Ut plurimum in devotione noſtra ſuperbi ſumus, & in judicio alienæ temerarii. Hi duo defectus duplici propoſitione impugnandi ſunt.

1. Non ſatis fidendum propriæ devotioni propter illuſiones, in quas decidere, & defectus, quos ibi committere poſſumus, quin eos agnoſcamus.

2. Cautius agendum in judiciis, quæ de aliena pietate proferimus, ne vel nobis hypocriſis ſuſpicio oboriatur, vel hoc nomine alios damnemus.

XIV. In duplici Concionis parte oſtendere poſſumus.

1. Poſſe omnes devotionem excolere, namque ſtatibus, muneribus, conditionibuſque omnibus accommodata eſt.

2. In ſingulis ſtatibus non deeſſe magna ſubſidia, quæ illam nobis reddant faciliorem, gratias, occaſiones teſtandæ fidei noſtræ Deo, & opportuna auxilia, quibus ſuffulti officiis noſtris perfungamur; ideoque nullam nos prætexere cauſam poſſe, ne pietatem impenſius colamus.

XV. Vulgatiſſimus defectus in devotione occurrens eſt, illam eſſe inordinatam. Hujus autem rei hæ notæ ſunt, quibus addenda remedia.

1. Cum ſupererogationis conſiliique opera conſectamur, interim ea negligentes, quæ præcepti ſunt, & ad ſtatum noſtrum pertinent.

2. Cum, quin ſumma fide majora præcepta exerceamus, leves, ac nullius momenti rebus immoramur.

3. Cum in officiis, atque exercitationibus nutantes ſumus, inſtabileſque.

XVI. Errores duo in Devotione occurrentes.

1. Alii eam nimis auſteram, ſeveramque & putant, & aliis exhibent, ideoque alios ab eadem deterrent.

2. Alii e contra devotionem habent nimis ſenſibus indulgentem, & delicatam, atque JESUM CHRISTUM cum Belial, cum Mundo Deum conciliare contendunt. *Ex Dictionario Morali.*

XVII. Tres falſæ devotionis caracteres.

Primus eſt indiſcretio, & importunitas.

Alter eſt amarus quidam zelus omnibus monitis, & correctionibus inſperſus.

Tertius, ſuperbia, & cupiditas dominandi in iis omnibus, quæ ad pietatem pertinent. *Idem.*





## PARAGRAPHUS II.

*Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras elaborandas.*

SAnctus Auguſtinus in libro de vera Religione, ac in altero de Beata vita loquitur de Devotione eo in ſenſu, in quo illam accipimus. Sancti Patres.

Idem de eadem verba facit etiam in libris 10. & 11. de Civitate Dei.

S. Chryſoſtomus *in cap.* 8. *S. Matthæi* docet nihil utilius eſſe ad veram pietatem ſuſcipiendam, quam humilis divinarum rerum cogitatio.

Idem *in cap.* 12. oſtendit Chriſtianos eſſe veros Iſraelitas, a quibus juge ſabbathum ſervandum eſt & viam Dei minus moleſtam eſſe, quam mundi.

Idem *in cap.* 14. indignum ait Chriſtiano viro propter temporalia ſervire Deo.

Idem *in cap.* 21. egregiam inſtituit comparationem inter Mundanos, ac Cœnobitas, & Solitarios, ubi horum ſanctorum hominum vitam in pietatis exercitationibus tranſactam deſcribit.

Idem *in cap.* 22. Chriſtianis iterum Eremitarum vitam proponit, illos ad pietatem excitaturus; quod ipſum argumentum rurſum in capite 23. pertractat.

S. Bernardus in ſermonibus de Aſcenſione docet per devotionem omnes pietatis exercitationes faciles fieri.

Idem *l.* 1. *de Conſid.* oſtendit nimias curas extrinſecas officere devotioni.

Idem *Serm.* 10. *in Cantica* de contemplationis ſuavitate loquitur.

Idem *Serm.* 22. *in eadem Cantica* docet a pietatis exercitationibus non deſiſtendum, ſi in illis guſtus, & ſuavitas non percipiatur.

Idem *Serm.* 52. *in eadem Cantica* oſtendit, Dei præſentiam maxime ad ſpiritum devotionis excitandum, fovendumque conferre.

S. Bonaventura in Aſceticis Tractatibus, præſertim vero in illo de ſex alis Seraphim de pluribus devotionis effectibus verba facit.

S. Laurentius Juſtinianus in Tractatibus de Diſciplina Monaſtica, & conjugio Animæ cum divino Verbo de hac re loquitur uberius.

Richardus a S. Victore in Cantica, & in Tractatu de interioris hominis inſtructione *l.* 2.

S. Franciſcus Saleſius in admirabili libro de Introductione ad vitam devotam, devotionis naturam, proprietates, ac præſtantiam oſtendit, & præterea quomodo anima devota ſeſe attollat ad Deum per Orationem, uſumque Sacramentorum; ac tandem loquitur de praxi chriſtianarum virtutum, quę ſi deſint, nemo eſſe poteſt vere devotus, ita ut vel hic unus liber ea omnia, quæ in hoc argumento poſſunt optari, abunde ſuppeditet.

Granatenſis *in part.* 2. *c.* 2. *&* 3. loquitur de devotarum animarum tentationibus, ac impedimentis devotionis *c.* 34. *&c.*

Cardinalis Bona *l. de Diſciplina pſallendi.*

R. P. Maſſon Chartuſianæ Familiæ Generalis veram adſtruit devotionis ideam in libro, cui titulus Introductio ad vitam Religioſam.

Cardinalis Bellarminus in Opuſculo de *Aſcenſione mentis in Deum* rationem tradit, qua jugiter in Deum attollamur, & contemplativam vitam ducamus.

P. Haineuſve in tomo 4. Ordinis ſerm. 26. hoc tractat argumentum.

P. Guillore *in tract. cui tit. Maximes ſpirituales. Maxim.* 4. oſtendit non omnes ſemper ad majorem perfectionem, hoc eſt ad ſublimiorem devotionem eſſe dirigendos; & *Maxim. ſequ.* docet ſingulos ad ſtatus, muneriſque ſui perfectionem eſſe adducendos; & *max.* 7. loquitur de corporis auſteritatibus, quando, & quomodo pietati ſint neceſſariæ.

Jacobus Alvares *Tom.* 3. *part.* 3. amplum habet tractatum de devotione, ubi ad examen revocat quidquid ad hanc virtutem refertur.

P. Gaudier in tractatu de Oratione *part.* 2. loquitur de devotionis defectu.

Franciſcus Suarez *de Relig. Tom.* 2. *tract.* 3. Theologice hoc argumentum exhaurit.

Leſſius *de Juſtitia, & jure l.* 2. *c.* 37.

Reinerius de Piſis *tit. Devotio.*

P. Cauſſinus in Aula Sancta tract. 2. Enunciato 9. loquitur de falſa devotione, omnibuſque ſpeciebus il-

illius: de devotione nigra, tetra, ſuperſtitioſa, affectata, hypocrita &c.

Idem Enunciato ſequenti de ſolida devotione verba facit.

P. Ludovicus Franciſcus d' Argentano ex Capuccinorum Familia in Collationibus Theologicis, & Aſceticis de Magnalibus Virginis *collatione* 23. *art.* 1. 2. 3. tuetur devotionem contra impiorum, & eorum, a quibus ignoratur, criminationes, & *collat.* 30. *art.* 10. loquitur de virtutis hujus uſu, & neceſſitate.

Cambolas lib. cui titulus, Exemplar Vitæ Chriſtianæ *c.* 3. §. 5. loquitur de devotionis abuſu; *c.* 6. §. 3. contra eos invehitur, qui mundum, ejuſque præcepta cum chriſtianæ vitæ inſtitutis conciliare contendunt; & §. 6. *capitis ejuſdem* oſtendit, qui pietatem profitentur, & mundi mores ſequuntur, inanem dumtaxat devotionis ſpeciem habere.

P. Cordier Tomo ſecundo Familiæ ſanctæ cap. 3. oſtendit, quam neceſſaria ſit in familia devotio.

P. Dozenne l. de Morali JESU CHRISTI art. 6. plura devotionis tradit præcepta.

Liber, cui titulus Schola JESU CHRISTI, Franciſci Pean Theologiæ Doctoris de devotione, & chriſtiana pietate late diſſerit.

P. Croiſet in ſpiritualibus Conſiderationibus to. 1. prolixum habet caput de falſa pietate; capite vero ſequenti de vera agit devotione.

Immenſi laboris eſſet eos recenſere qui de pietate loquuntur, & devotionis tradunt præcepta; eos, quos memoravimus, in medium attuliſſe ſufficiat.

Concionatores.

In Morali Dictionario duos hujus argumenti ſermones invenies.

Inter ſermones ſub P. Bourdaloue nomine editos Feria quarta poſt tertiam Quadrageſimæ hebdomadam ſermo eſt præcipuos veræ devotionis caracteres indigitans.

P. Girouſt pro Feria tertia Hebdomadæ ſecundæ in Quadrageſima loquitur de vera, & falſa pietate.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta in Adventu veræ, falſæque devotionis profert caracteres.

Maimbourg veræ devotionis tradit ideam in Magdalena ad JESU CHRISTI pedes provoluta, ſermone pro feria ſecunda majoris hebdomadæ.

P. Griſel in Quadrageſima eamdem ſecutus eſt ideam in S. Mariæ Magdalenæ Panegyrico.

In Chriſtianis ſermonibus pro quinta poſt Penteceſtem Dominica ſermo eſt de iis ſenſibus, quos homini Chriſtiano Religio vera debet inſpirare.

Quicumque de hypocriſi diſſeruerunt, indirecte de vera devotione locuti ſunt.

Qui collectanea ediderunt.

P. Ludovicus Granatenſis in locis Communibus titulo *Devotio*.

Buſæus in Viridario fuſius de hoc loquitur argumento.

Centuriatores alii nonniſi data occaſione de hac devotione locuti ſunt, idque ſub titulo Religionis.

## PARAGRAPHUS III.

*Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.*

*QUam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te!* Pſ. 30.

*Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Pſ. 35.

*Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?* Pſ. 34.

*Lex Dei in corde ipſius*. Pſ. 36.

*Lex tua in medio cordis mei*. Pſ. 39.

*Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*. Pſ. 62.

*Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*. Pſ. 118.

*Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem .... donec inveniam locum Domino*. Pſ. 131.

*Non habet amaritudinem convictus illius, neque tædium converſatio illius*. Sap. 8.

*Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Pſ. 83.

*Dominus autem intuetur cor*. 1. Reg. c. 16.

*Poſuit oculum ſuum ſuper corda eorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum*. Eccli. 17.

*Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Matth. c. 15.

*Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me*. Ibid.

*Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*. Ibid.

*Venit hora ..... quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*. Joan. 4.

*Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*. Ibid.

*Hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Matth. 23.

*Graditur via non bona poſt cogitationes ſuas*. Iſaiæ 62.

*Pietas ad omnia utilis eſt*. 1. ad Timoth. 4.

*Religioſitas cuſtodiet & juſtificabit cor*. Eccli. 1.

*Abſconditus cordis homo*. 1. Petri 3.

*Memor fui Dei, & delectatus ſum*. Pſ. 76.

*Exempla ex utroque Teſtamento deſumpta.*

Exemplum Abrahæ.

QUacumque in ſignificatione devotio ſumatur, ſeu pro Religionis actu, ſeu pro voluntate, quæ nos ad Deo inſerviendum impellit, ſeu pro earum rerum omnium, quæ ad Domini cultum pertinent, amore, Sanctus Patriarcha Abraham luculentiſſimum nobis illius ſuppeditare poteſt exemplum. Et profecto cur nam putas Deum illi imperaſſe, ut ſibi unigenitum ſuum, unicum amoris objectum, ſenectutis columen, diuturnæque poſteritatis ſpem ſacrificaret? Non ideo ſane, quod oblectetur ille humano cruore, præſertim vero cruore filii paterna effuſo dextera; videmus enim e contra in Lege ipſum id genus ſacrificia perhorreſcere; ſed quod inſpicere vult, quænam futura ſit diſpoſitio cordis Abrahæ, ubi graviſſimum hoc mandatum acceperit; & utrum amor, quo chariſſimum proſequitur filium ſuum Iſaac, eam ſuperaturus ſit obedientiam, quam debet Deo. Itaque ubi heroicam magni hujus Patriarchæ virtutem intuitus eſt, ipſam voluntatis diſpoſitionem pro effectu acceptam habuit, eique inſigne illud perhibuit teſtimonium, illum videlicet perfecte, integreque ſervitio ſuo eſſe devotum; quandoquidem præſto erat, ut omnia conaretur, omniaque ſine ulla exceptione ſacrificaret; in quo vera devotio conſiſtit. *Nunc cognovi, quod times Deum*. Geneſ. 22.

Falſa devotio Saul.

Abjecit Deus ſacrificium Saul, quantumvis omnem actus religioſi ſpeciem præferret; non enim juxta ſuam voluntatem oblatum fuit, neque profectum ex animo, qui divinis exſequendis imperiis promptus eſſet, atque ſubmiſſus. Itaque Regis hujus factum improbavit Samuel tamquam importunum, habitumque potius fuit veluti idololatriæ ſpecies, quam actus Religionis: *Quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere*. 1. Reg. 15. Juſſus fuerat Saul Amalecitis bellum indicere, eiſque deletis omnia igne ferroque vaſtare; at ratus nimis magnam ſe jacturam ſubiturum, ſi tantas opes abſumeret flamma, ea ſibi reſervavit, quæ maximi pretii eſſe duxit; cumque Dei verbis a Samuele exprobraretur, ſatis validam ſe afferre excuſationem arbitratus eſt dicens, ſe pretioſiſſimas igni ſubtraxiſſe manubias, Domino ſacrificandas. Fallacem pietatem, ſacrilegam religionem! Non indiget Deus oblationibus, atque muneribus; cordis puritatem, mandatis ſuis obedientiam, noſtræ voluntatis ſuæ conformationem expoſcit.

Exempla, devotionẽ in corde eſſe debere, probantia.

Vera devotio principium habere debet in corde, & niſi pietatis actiones ex hoc fonte non manaverint, quantumvis egregiam extrinſecus ſpeciem oſtentent, Deo acceptæ eſſe non poſſunt. Ideo in Scripturis nihil enixius, quam cor, petitur a Deo. Ibi enim videmus, illum Abelis quidem accipere ſacrificium, quod ex corde proficiſcebatur, Cain vero repellere, cujus particeps cor non erat; Moyſi præcipere, ut interiorem Arcæ partem primum, mox vero exteriorem auro exornaret. Scimus, Davidem fuiſſe hominem ſecundum cor Dei; cor enim ſanctiſſimi Regis ſemper erat ad exſequenda Dei mandata paratum: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*. Pſal. 197. ac denique in actibus quibuſcumque patet Deum ante cætera cor intueri: *Dominus autem intuetur cor*. 1. Reg. 16.

Cum devotionis virtuti latiorem tribuamus ſignificationem præ ea, quam illi Theologi tribuunt, & hoc nomine intelligamus ſanctam vitam, piam, pro Dei ſervitio zelo ſuccenſam, in lege ſervanda ſedulam & paratam debitum Deo cultum deferendo, hoc in ſenſu piorum, devotorumque albo omnes veteris Teſtamenti Sancti poſſunt accenſeri. Ita Abel, Noe, Job, Jacob, Joſias, Joſaphat, Ezechias, Prophetæ omnes, aliique innumeri devoti fuere; pietas enim, religio, ſanctitas, nomina ſunt, quibus Sacra utitur Scriptura ad illud indigitandum, quod a nobis devotio nuncupatur.

Falſa devotio prophetarum Baal.

Licet vera devotio omnem oderit mollitiem, omnibuſque in rebus mortificationem requirat, & corporis auſteritates exerceat; putandum tamen non eſt in his devotionem conſiſtere; & hæc eſſe certa veræ devotionis indicia. In Bibliis enim videmus, Prophetas Baal pſeudoprophetas fuiſſe; licet ipſa auſteritate vere Dei Prophetas ſuperarent; barbara enim pietate membra ſua cultris ſecabant, laniabantque, ita ut cruore difflueret. Itaque vera devotio ea non eſt, quæ virtutem omnem immodicis, nimiiſque auſteritatibus collocat, corpus quidem infirmantibus, omnemque ſpiritus vim extinguentibus; neque ea, quæ ſine Eccleſiæ præcepto, vel ſapientis Ducis alicujus conſilio ſeveriſſimos ritus conſectatur magis ut propriæ voluntati ſatisfaciat, quam ullo pietatis ſenſu: & in his omnem Chriſtianiſmi perfectionem conſtituit, quin aliis perfungatur muneribus, quæ magis ſunt eſſentialia, & ad quæ ſervanda arctiori neceſſitate tenemur. Sæpe etiam ſub externis hujuſmodi auſteritatibus ſecreta latet ſuperbia; ſed internæ mortificationes nullis ſunt obnoxiæ illuſionibus.

Devotio nequaquam propria eſt, ut nonnulli putant, aliquorum dumtaxat hominum; vel quorumdam vitæ ſtatuum, aut profeſſionum. Omnium temporum eſt, omnium conditionum, earum etiam, quæ ab eadem magis abhorrere videntur. In Scripturis enim videmus non defuiſſe Davidi, qui ingentis Regni pluribus diſtractus curis tempus tamen inveniebat, quo centies ſingulis diebus Domino ſuo laudes diceret; Moyſem, qui frequentiſſimi populi dux erat, ad Deum indeſinenter confugiſſe, eumque rebus in omnibus conſuluiſſe; Joſue exercitus imperatorem egregia pietatis laude floruiſſe; Eſther in Aſſueri Aula ad maximi terrarum Regis thalamum evectam nihil magis odiſſe quam faſtum, atque jactantiam, neque majores unquam percepiſſe delitias, quam cum in receſſu in Deum unum cogitationes ſuas transferebat; Judith, quæ in gente ſua tanto in honore habebatur, vitam frugi, ſancteque duxiſſe, ſeſe induiſſe cilicio, atque ad unguem jejunia, feſtos dies, omneſque Legis cæremonias ſervaſſe.

Publicanus, & Phariſæus Evangelici.

Publicanus, & Phariſæus in Evangelio nobis tamquam exempla proponuntur, alter quidem veræ, alter vero falſæ devotionis; ſed Dei unius eſt alteram ab altera dignoſcere. Ex duobus hiſce exemplis poſt veritatis ejuſdem ſententiam, & verbum, innoteſcit, illum, qui majorem habere putat pietatem, ut plurimum omnino eadem carere. Sed ex iis, quæ faciunt hypocritæ, cognoſcere poſſumus, quid nobis faciendum ſit, ut vere devoti ſimus; atque metuere debemus, ne damnemus eos, qui aliquando fortaſſe nos accuſabunt, & condemnabunt.

Magdalena perfectæ devotionis exemplum.

Poſt beatiſſimam Virginem in Evangelio nullum perfectius devotionis exemplar invenimus, quam Magdalenam; ea quippe omnes ejus qualitates, ſenſus, officia, & exercitationes complectitur. Modo ad Salvatoris pedes procumbit, eas lacrymis abluens, modo illum ubique, ut Canticorum Sponſa, quærit, eoque invento ſuaviſſimo charitatis impetu extra ſe rapta perfruitur: *Quæſivi, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam*: Cant. 3. modo ſuper caput ejus pretioſi unguenti phialam effundit, ac eodem pedes inungit, quos ſuis capillis detergit; quo charitatis officio tanto cum fervore perfungitur, ut cum aromatico unguento cor ipſum effundere videatur: modo æque tenera, ac ſolida devotione ipſum ad Calvariæ uſque cacumen perſequitur paſſionum ipſius conſors futura; mox illum in ſepulcro requirit, ut juſta perſolvat; eoque non invento, ſollicita ſciſcitatur, ubinam poſitus fuerit, & ad eum auferendum ſibi ſatis virum futurum arbitratur. Omnes, quibus agitur, motus totidem ſunt teneræ, ſolidæ, ferventis, conſtantiſque ſimul devotionis indicia, & effectus; quamobrem Dei filius dixit, ipſam quidem optimam elegiſſe partem, numquam ab eadem auferendam.

Exempla reliqua nimis multa ſunt, ut poſſint recenſeri. Hoc in numero adſcribi poſſunt Apoſtoli omnes, præſertim vero S. Petrus, cujus ardentiſſima devotio fuit, & S. Joannes, qui ſummo Dei flagrabat amore, deinde vero diſcipuli, qui Salvatorem ſecuti ſunt, piæ mulieres, quæ eumdem ſubſequebantur, Cornelius Centurio, qui in Actis c. 10. *Religioſus, ac timens Deum* appellatur, & S. Timotheus, qui a S. Paulo *Homo Dei* dicitur.





## *APPLICATIONES.*

Quomodo corpus, ſenſuſque ex animæ devotione afficiantur.

*COr meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Pſ. 83. Quomodonam caro, pars hæc noſtrummetipſorum animalis gaudium, & requiem ſuam in Deo poteſt invenire, quod quidem ſpiritus eſt illam quodammodo guſtantis, ac delibantis, uti alibi idem loquitur Propheta? Cum lumen inuſitatum repente ſpiritum illuminet, ac recens ardor ſancto amore voluntatem inflammet; anima ſuavitate repleta hanc appetitui communicat, qui ipſius pars eſt; quæ deinde in carnem, ſenſuſque diffunditur, qui hac facultate reguntur. Hinc fit, ut labor, ac dolor, qui in Dei ſervitio eſt, non percipiatur; ut ſancta hilaritate mandatorum illius vis percurratur; ac devoti homines ibi voluptatem inveniant, ubi tepidi, ac devotione carentes laborem tantum, ac faſtidium inveniunt.

*Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*. Pſalm. 100. His verbis Propheta docet, devotione quamprimum areſcere, ac imminui, niſi oratione enutriatur. Hæc eſt S. Bonaventuræ animadverſio, qui ad hoc probandum Prophetæ allata utitur auctoritate; & hoc ipſum quotidiana etiam docet experientia: Si enim deſit oratio, ſenſim pietatis remittuntur officia, bona conſilia oblivioni traduntur, & paſſiones omnes, quibus devotio ſoporem immiſerat, rurſus expergiſcuntur. Quamobrem ubi de homine devoto ſermo eſt, ut plurimum homo orationi deditus intelligitur, & effectus pro cauſa uſurpatur. Devotio ad orationem excitat, & oratio fovet devotionem; utraque vero a Spiritu Sancto modo cibus, modo pinguedo animæ, & ſignum ſalutis ejuſdem vocatur: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*.

*Abſconditus cordis homo*. 1. Petri 3. Lex vetus, ex S. Pauli teſtimonio, neminem adducebat ad perfectionem. Omnis in figuris poſita erat, & ſi veram habebat ſanctitatem, hæc extrinſecus quidem incipiebat, & mox in cor ipſum tranſibat; cumque vultus, & ſacrificia illius non eſſent aliud, niſi umbræ cultus, & ſacrificii novæ Legis, hic finis illius erat, ut externis actionibus ea præſignaret, quæ interna erant futura. E contra vero Chriſtiana Religio ſtatim pietatem in ipſo corde conſtituit, & hæc pietas *abſconditus cordis homo* a Sancto Petro vocatur: mox vero præcipit, ut per actionum ſanctitatem illam extrinſecus proferamus.

Quomodo per devotionem induimus J. C.

*Induimini Dominum JESUM CHRISTUM*. Ad Rom. 13. Te, Domine Salvator hominum, indui volo ſecundum Apoſtoli tui conſilium; at ſi extrinſecus tantum induerer per virtutes mere exteriores, quid de me eſſet? quænam eſſet pietatis larva ad iram tuam excitandam, quam ad miſericordiam promerendam accommodatior? Fac igitur, ut hoc devotionis indumentum, quod utique geram proximum meum ædificaturus, interiorem hominem contegat: *Abſconditus cordis homo*, hominem, qui tua gratia efformatus ex tuo ſpiritu vivat, & intra ſe inviſibilia virtutum tuarum ſervet lineamenta; hominem, qui in omnibus officiis ſuis fidelis, ea omnia majora æque ac minora diligenter adimpleat; hominem, qui prudens, ac ſapiens ea, quæ præcepti ſunt, atque ad ſtatum ſuum pertinent, iis præferat, quæ ſunt ſupererogationis; hominem denique, qui omnino ſit ſacer, devotuſque. *Ex Morali Dictionario*.

*Pietas ad omnia utilis*. 1. ad Timoth. 4. Et ſane cui non utilis pietas? Uſum habet in omnibus locis, temporibus, rebus; in Eccleſiis æque, ac in Regum penetralibus. Per hanc audimus verbum ab hominibus prolatum, tamquam verbum Dei, quale reipſa eſt, illudque recipimus quemadmodum arens tellus recipit imbrem; per hanc divinorum beneficiorum conſideratio nos afficit, amoris ejuſdem cogitatio ſuccendit, promiſſiones ſolatium afferunt, minæ perterrent. Sine hac Verbum Dei quod eſſe debet inſtar gladii ancipitis, in cordis noſtri duritie retunditur; & ſine hac obſtinationis ſcelere ſcelus impœnitentiæ cumulamus. Hæc vera devotio cubicula noſtra in anguſta templa convertit, quo deſcendit divinitas; hæc efficit, ut Deus nobis loquatur, ut nos loquamur illi, no-

biſque ſua aperiat oracula, ac ſuas conſolationes infundat.

## PARAGRAPHUS IV.

*Sanctorum Patrum loci, atque ſententia hujus argumenti.*

*DUlciores ſunt lacrymæ orationum, quam gaudia theatrorum.* Auguſt. in Pſ. 127.

*Quamquam hæc infirma habeant ſuas delectationes, ſuoſque amores: non tamen tali modo delectant, ſicuti tu Deus noſter.* Idem in Medit.

*Eſt gaudium quod non datur impiis, ſed eis, qui te gratis colunt Domine, quorum gaudium tu ipſe es.* Idem in Confeſſ.

*Si habet animus unde oblectetur extrinſecus, ſine deliciis manet interius.* Idem in Joannem.

*Si forinſecus ea quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo eſt tam inſulſus, qui præcepta arbitretur impleri.* Idem, Quæſt. 54. in Deuter.

*Quis cultus ejus, niſi amor ejus?* Idem in Pſ. 32.

*Hoc nimis doleo, quod multa quæ in ſacris libris magna ſunt, minus teneantur, & parva nimis introducantur.* Idem, Epiſt. 110. ad Januar.

*Religionem, quam Chriſtus liberam eſſe voluit, ſervilibus oneribus premunt.* Idem ibid.

*Hæc perfecta juſtitia eſt; ſi potius potiora, ſi minus minora diligamus.* Idem, Epiſt. 119. ad Jan.

*Pietas vera eſt verax Dei cultus.* Idem, l. 4. de Civ. Dei, cap. 23.

*Sine vera pietate & religione, omne quamvis laudabile ingenium, ſuperbia vaneſcit, & decidit.* Idem, l. 2. de Civ. c. 5.

*Cum mens internam dulcedinem deguſtat, amore æſtuat, videtque ſe videre non poſſe quod ardenter diligit; nec tamen ardenter diligeret, niſi aliquatenus videret.* Greg. l. 4. Moral. c. 12.

*Gravis eſt iniquitas, quando is qui perverſus eſt oſtendere alios perverſos molitur; ut inde minus malus appareat, quod alios ſanctos non eſſe docuerit.* Idem, l. 12. c. 15.

*Quanto quis minus æterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requieſcit.* Idem ſuper Ezechielem.

*Devotio eſt fervor bonæ voluntatis, quem mens cohibere non valens certis manifeſtat indiciis.* Caſſianus in Collat.

*Deus non æſtimat quemquam ex eventu rerum, ſed ex affectu.* Cyprian.

*Non improbo eos qui caſtigant corpus ſuum; ſed ſatanas mille artibus nonnumquam illudit incautis.* Idem de dupl. Martyr.

*Habet hanc vim dulcedo cæleſtium pulchritudinum, ut quanto intentius quæritur, tanto ardentius deſideretur: ingerunt de cupiditate appetitum, & non faciunt de ſatietate faſtidium.* Euſeb. Emiſſ. Serm. de B. Maximo.

*Tanta eſſe debet ejus* ( devotionis ) *lenitudo, ut emanet ab animo ad habitum.* Tertul. de cultu mulier.

*Guſtato ſpiritu, neceſſe eſt deſipere carnem; affectanti cæleſtia, terrena non ſapiunt; æternis inhianti, faſtidio ſunt tranſitoria.* Bernard. in Epiſt.

*Cui Chriſtus incipit dulceſcere, neceſſe eſt amareſcere mundum.* Idem in Sermonib.

*Hoc debes ſemper obſervare, ut non occidas carnem tuam, ſed vitia.* Idem, de modo beate vivendi.

*Ingratum eſt quidquid obtuleris, neglecto eo, ad quod teneris.* Idem.

*Quæſtuoſa res eſt nomen Chriſti.* Gilbertus Abbas in Cantic.

*Nihil eſt in rebus humanis religione præſtantius, eamque ſumma vi oportet defendi.* Lactantius l. 3. cap. 10.

*Devotionis virtus ordine prima eſt, quæ eſt fundamentum cæterarum, meritoque hanc primam exegit Deus ab Abraham.* Ambroſ. l. de Abraham.

*Res eſt cordis, gratia devotionis.* Bernardus.

*Hæc gratia devotionis, eſt unctio docens de omnibus; quam expertus novit, inexpertus ignorat: quoniam nemo ſcit, niſi qui accipit.* Idem in declamat. de verbis Apoſt. Petri. Ecce nos reliquimus omnia.

## PARAGRAPHUS V.

*Quid in hoc argumento ex Theologiæ penu poſſit depromi.*

Quid ſit devotio, & variæ nominis ſignificationes.

CUm *Devotionis* nomen æquivocum ſit, difficile eſt virtutis hujus æquam notionem tribuere, & iis omnibus rebus, quæ devotionis nomine ſignificantur, convenientem. Nonnumquam hoc nomine indigitatur interior ſuavitas, atque ſolatium, quo anima in oratione perfunditur; quo in ſenſu SS. Auguſtinus, atque Bernardus de ea vulgo loquuntur. Alii hoc vocabulo intelligunt quemdam affectum, ac ſtudium erga pietatis exercitia, & ea omnia, quæ Dei cultum reſpiciunt; eoque in ſenſu SS. Ambroſius, & Gregorius, ut plurimum, hoc nomine utuntur. Credunt nonnulli hanc eſſe cordis affectionem, quod divinis rebus palam afficitur; quamobrem ubi hæc cogitamus, vel de his ſermonem audimus haberi, in lacrymas diſſolvimur. Alii vero cum pleriſque Theologis dicunt, hanc ſanctam eſſe lætitiam ac mentis alacritatem, qua Sancti ea, quæ Dei ſunt, conſectantur. Hi Doctores devotionem cum fervore confundunt, qui potius devotionis qualitas eſt, & conditio, quam ipſa devotio. Sæpe devotum dicimus, qui frequens ad Sacramenta accedit, atque pietatis exercitiis ſeſe crebro mancipat; tunc vero effectus uſurpatur pro cauſa. Sed eo in ſenſu, in quo iſtic devotionem accipimus, aperta profeſſio eſt vitæ ſecundum omnia Religionis officia, & ſtatum, in quo nos Providentia conſtituit, & munus, quod illius imperio, ſumus amplexi, diligenter inſtitutæ. Quod non longe abeſt ea definitione, quam tradit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 82. dicens, hanc alacrem eſſe voluntatem, propter quam hilariter ea omnia perficimus, quæ ad Dei cultum pertinent; quibus hoc unum addimus; nempe juxta ſingulorum ſtatum & conditionem ad eos prohibendos abuſus, qui in devotionem magis, quam in quamcumque virtutem aliam obrepunt.

Hæc notio ipſo devotionis nomine ſumitur, quod ex verbo *devovere* originem duxit; quapropter devoti illi proprie vocantur, qui Deo ſuo ſeſe devoverunt. Itaque, ut preſſius loquamur, religionis virtus, quæ moralium omnium virtutum princeps eſt, ac præſtantiſſima, nos ad ea impellit, quæcumque ad Dei cultum pertinent; devotio autem efficit, ut ea omnia alacriter, & cum gaudio exerceamus, ibique voluptatem naciſcamur, atque interiori voluptate repleamur. Hinc ſequitur, devotionem quemdam in ſenſu eſſe religionis actum, in altero vero particularem eſſe virtutem, licet Sancti Patres ſæpe illam cum ipſa religione confundant, & frequentius *pietatem*, nonnumquam etiam Divini ſpiritus unctionem appellent. Hodie vero devotorum nomen eorum proprium eſt, qui pietatem, bona opera, ſanctaque charitatis exercitia peculiariter profitentur.

Vera devotio inter duo vitia ſita eſt, quæ ſunt ejuſdem extrema.

Vera devotio inter duo extrema vitia, ſuperſtitionem, videlicet, atque impietatem ſita eſt. Superſtitio quidem per mentis imbecillitatem peccat; impietas vero, commentitiam ſpiritus vim affectans per nequitiam potius delinquit: altera nimis credula eſt, altera vero ſatis credula non eſt; utraque duplicem efficiunt ſcopulum, ut vere devotus ſis, diligentiſſime evitandum. Attamen ſuperſtitio excuſatione dignior videtur; namque inter falſas ideas, quas ſibi proponit imaginatio, aliqua bonæ affectionis elucet nota; cum impietas e contra omnia ſimul intellectum, voluntatemque corrumpat. Verum ne in alterutrum horum ſcopulorum impingas, ſatis eſt, ut eas diligentiſſime ſerves pietatis exercitationes, quas vel præcipit, vel probat Eccleſia.

Fundamentale eſt chriſtianæ Moralis Axioma, veram, ſolidamque pietatem potius in ſenſu cordis, quam in exteriori actione conſiſtere; & Deum majorem habere rationem affectionum, votorumque noſtrorum, quam operum. Deus cor præſertim ſpectat, cor petit, atque exigit; & quantumvis illum colere poſſis exteriori mandatorum illius obſervantia, niſi cor interiori motu ſimul acceſſerit, Deo acceptus eſſe non poteris. Ita in Prophetis videmus, contempſiſſe Deum ſacrificia, quæ non erant interiori cordis pietate animata.

In devotione exteriores cultus prætermittendi non ſunt.

Licet vera, ac ſolida devotio in eo conſiſtat, ut Deo in ſpiritu, & veritate ſerviamus, quemadmodum ipſa Veritas docuit; tamen non prohibet externos cultus, cæremonias, vocales preces, genuflexiones, omneſque motus, quos devotio ſuggerit, prudentia regit, permittit Eccleſia; & quos non niſi audaciſſima temeritate, S. Auguſtinus inquit, hæretici, ac impii vituperant. Et patet ratio; cum enim homo corpore conſtet, ac ſpiritu, efficere tenetur, ut utraque hæc ſui ipſius pars ſuæ erga Deum pietati famuletur, & debet interiori cultui exteriorem adjicere, non ſecus ac Publicanus, quem laudat Evangelium, cordis contritioni, ac ſpiritus humiliationi lacrymarum copiam, & fervorem, quo pectus ſuum tundebat, adjecit.

Cavendum eſt, ne ſenſibilis devotionis dulcedinem abjiciamus, vel contemnamus in aliis, quod Theologi myſtici docent; licet enim devotio ſolida nequaquam conſiſtat in hoc guſtu, atque ſuavitate; hæ tamen ſunt cæleſtes gratiæ: & maxime mundi hujus labores optimam ſane mercedem hujuſmodi ſolatiis referrent. Sæpe veræ virtuti opem adferunt, & qui majori Sanctitatis laude floruerunt, uberrimum inde fructum percepere. Verum cavendum quoque, ne quid remittatur, vel relinquatur ex illis exercitationibus ſanctis, quibus aſſuevimus, ubi hujuſmodi ſuavitates imminuantur; alioquin hoc eſſet Deo, ut conducti aſſolent, famulari. Deus ut plurimum dulcedinem hanc illis deguſtandam impertit, qui ſeſe illi devovere incipiunt, ut eos ad ſe pertrahat, atque ſuæ ſervituti ſubjiciat; deinde vero, ubi profecerint, illos eſca magis ſolida enutrit.

Devotionis actus non relinquendi quod illis abutantur hypocritæ.

Vehementer errat, qui putat, devotionis exercitia eſſe negligenda eo quod illis ſeſe hypocriſis contegit, eaque omittenda eſſe, ne tamquam hypocrita habeatur. Haud ita, S. Auguſtinus inquit: non decet oves ſuis velleribus exui, quod illis nonnumquam utuntur lupi, ut felicius decipiant. Deus, qui eſt univerſale rerum omnium principium, vult, corpore etiam, non ſolum mente ſibi ſerviri: deinde vero proximis etiam debet prodeſſe devotio, ac bonum hominibus exemplum tribuere, Deo gloriam debitam tribuens. Falſa pietas illis etiam, quos fallit, utilis eſſe poteſt; neque enim vident, quod in ipſa improbum latet, ac amant, quod ſibi bonum videtur.

Quamvis quicumque fidelis devotus eſſe debeat, tenetur quippe omnibus ſuæ Religionis officiis defungi; nihilominus communiter loquendo, videtur devotis nonnihil peculiare communibus addere officiis: ita ut qui ſincere devoti eſſe velint, recentes obligationes contrahere videantur. Namque devotum eſſe, idem eſt, ac eſſe devotum Deo non ſolum propter Baptiſmi ſui promiſſiones, verum etiam propter voluntariam, generoſam, atque conſtantem profeſſionem, qua ſe Deo adhærere devotus decernit. Hoc non eſt ſolum Dei ſubditum eſſe, ſed etiam domeſticum, eum propius ſequi, ejuſque conſuetudine ſæpius frui.

Quid intelligendum, cum omnes devoti eſſe debere dicantur.

Cum dicunt, laicos æque devotos eſſe debere, ac Regulares; nequaquam intelligendum eſt, laicum æque ac Regularem ad eamdem devotionem ſervandam teneri: ita enim confunderentur obligationes, quæ eſſe debent diſtinctæ. Religioſi, atque Eccleſiaſtici propria habent officia; Magiſtratus etiam, ac Negotioſi homines habent ſua, quæ variis vitæ civilis conditionibus, varia eſſe debent. Verum intelligendum eſt, unicuique virtutis formam, atque devotionis menſuram ex ſtatus ſui officiis, & obligationibus eſſe deſumendum, & quidquid ab hac forma abhorret, quantumvis ejuſdem fines excedat, ſupervacuam eſſe ſupererogationem, quæ Deo accepta non eſt, & nihilum prodeſt, ut aliquem devotum efficiat.

Hinc ſequitur, curas, atque negotia, quæ ab officiorum noſtrorum ordine non recedunt ( dummodo modus ille ſervetur, quem lex chriſtiana præſcribit ) non eſſe devotionis impedimenta: quoniam devotio inſtituenda eſt juxta ea munera, quæ explere tenemur, eaque officia, quæ pro conditione noſtra nobis ſunt obeunda. Inde ſequitur etiam, exercitia quælibet, omnem devotionis actum, qui nos ab officiis noſtris rite perfungendis avertit, mala eſſe, atque irregularia. Tertio ſequitur etiam, licet devotio receſſum diligat, ac tranquillum ſpiritum exigat, inter maximas curas illam ſervari poſſe, atque foveri.

Errant, qui putant devotionem nimis eſſe ſublimem, ac perfectis tantum, vel iis, qui ad altiſſimum perfectionis faſtigium contendunt, perviam. Cum varii ſint gloriæ in cœlo, & gratiæ gradus in terra, varii quoque ſunt gradus devotionis, per



quos creſcimus in gratia, & magis, magiſque ad gloriam attollimur. Ut verbo me expediam: quemadmodum non omnes juſti ſunt æque perfecti, licet omnes per ſanctificantem gratiam ſint Dei filii, & amici; ita ordo a Deo conſtitutus exigit, ut non unum ſit devotorum genus, quemadmodum plures futuri ſunt Sanctorum, atque Beatorum ordines; Quamobrem cum nemo pro virili non contendere debeat, ut ſalutem ſuam operetur, ac Cœlum acquirat, licet primos gloriæ gradus ſe aſſecuturum minime ſperet, ita nemo eſt, qui devotionem exercere non debeat.

In devotione nequaquam ſtatim ad ea, quæ magis ſublimia ſunt, contendendum eſt; expectandum eſt, donec nos attrahat Deus; alioquin hoc eſſet aviculas imitari, ut ſpiritualis vitæ magiſtri dicunt, quibus cum nondum ſatis firmæ ſint alæ; ubi volare adnituntur, decidunt in terram. Magna profecto illuſio eſt, repente ad altiſſimos gradus contendere, quo ſancti non pervenerunt, niſi per vias minus perfectas ſumma cum ſimplicitate incedendo. Hæc immo dæmonis fraus eſt, atque tentatio, qua ſtudet, a devotione removere, qui Deo famulari incœperunt: illis indiſcretas auſteritates, atque conatus ultra ipſorum vires poſitos ſuadet, ut cum diu eos ſuſtinere non valeant, tædio affecti a devotione, Deique cultu prorſus recedant.

Mentis ſublimitas, quæ in ſcientiarum acquiſitione perquiritur, in devotione neceſſaria non eſt; hæc enim virtus potius cordis eſt, quam mentis, & calore magis indiget, quam lumine. Quamobrem vulgo videmus ſimplices, atque illiteratos homines facilius devotionem excolere, atque conſtantius in eadem perſiſtere; & Apoſtoli, qui proculdubio primi devoti fuere, quippe qui in pietate a Magiſtrorum omnium præſtantiſſimo eruditi, rudes fuere, in lintribus, ſcaphiſque innutriti, atque ſagenis, retibuſque dumtaxat attrectandis idonei. Cæterum devotio, ſi ejus ſpectetur eſſentia, nequaqam conſiſtit in ſublimibus contemplationibus; illi mediocris mentis ſufficit applicatio, quod ſane oſtendit, non adeo operoſum, & arduum eſſe; ut exiſtimatur, illuc pertingere.

Devotionis effectus.

Quamvis pietas, atque devotio omnium bonorum ſit cauſa, totiuſque noſtræ felicitatis origo; habet tamen peculiares quoſdam effectus, quorum præcipue hi ferme ſunt. 1. Fervens deſiderium converſandi cum Deo, audiendi verbum illius, amoriſque ſui gratias in Sacramentis recipiendi. Ita David ad Domini ſui dilecta tabernacula adſpirabat, nihilque in exilio ſuo gravius, acerbiuſque inveniebat, quam ab illius abeſſe conſpectu, aperte profeſſus, ſe una ſpe, futurum ut ipſum in domo ejus videret, ſuffultum fuiſſe ne in deſperationem decideret. 2. Gaudium, quod vocari poteſt incomprehenſibile; anima enim devota ſentit cor ſuum aperiri, ac in illud ingredi Spiritum Sanctum cum omnibus gratiæ, dulcedinis, conſolationumque ſuarum deliciis, quas, qui percipiunt, ſatis explicare non poſſunt. 3. Mundi oblivio, voluptatum ejus nauſea, omniumque vanitatum contemptus. 4. Facilitas ea, quæ ad nos pertinent adimplendi, & ut loquitur Propheta, currendi in via mandatorum Domini, ita ut labores omnes, doloreſque, qui in virtute, Deique ſervitute inveniuntur, protinus abeant, & evaneſcant. 5. Quædam animæ elevatio, quæ efficit, ut ab omnibus terrenis rebus divulſa rerum divinarum contemplationi unice inhæreat. 6. Zelus ardens gloriæ Dei quo illum mortalibus omnibus cognoſcendum, amandumque tradere adnitimur.

Devotionis impedimenta.

Primum ſpiritui devotionis obſtaculum eſt humanarum conſolationum, ac ſenſibilium voluptatum perquiſitio; hæ quippe ſaltem non minus, quam ſpiritui caro, interioribus ſpiritus ſancti gaudiis opponuntur. Ita Manna Iſraelitis deficere occœpit, ubi illi fructibus terræ veſci incœperunt. Alterum eſt nimis ſollicita cura pro terræ hujus bonis, quæ quidem ſuffocat verbi divini ſemen, prohibetque, ne radicem in corde jaciat. Tertium curioſitas eſt ea ſciendi, quæcumque aguntur, & tranſiguntur, ac ediſcendi ſexcentas res inutiles mentem diſtrahentes, diſſipanteſque, ac ne Deo ſuo vacet, prohibentes. Quartum negotiorum impedimentum, & ſæcularium multitudo curarum, quibus ſine ullo ordine, ac neceſſitate animum noſtrum impendimus.

Alii devotionem conſtituunt in eo, quod eſt ſecundum ſenſum ſuum, alii in eo, quod ſecundum

ſuum

ſuum ſtudium eſt: alii in inuſitatis, ſingularibuſque exercitationibus; alii in extremis: alii in eo, quod nitet, ac fulget; alii in eo, quod terret, ac abjicit. Alii eam ſibi fingunt extra ſtatum ſuum, alii ultra vires, & poteſtatem ſuam. Alii hanc eſſe putant urbanitatis officiis, regulíſque in hujus mundi conſuetudine ſervandis oppoſitam: alii denique illam prorſus contrariam opinantur arctiſſimis etiam obligationibus, ac particularibus muneribus, quibus in mundo defungi tenentur.

## PARAGRAPHUS VI.

*Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci ad hoc argumentum ſpectantes.*

**Vulgo devotio falſis coloribus exhibetur.** DEvotio, quæ propria eſt Chriſtifidelium virtus non æquioribus delineata coloribus fuit, quam virtus Philoſophorum, qui eam collocarunt in altiſſimo montis faſtigio, horrentibus undique ſpinis conſiti, aſperrimiſque rupibus præpediti; eique ſocios dedere laborem, doloremque, veſtem hirtam, atque horribilem, ac oris habitum ad terrorem injiciendum aptiſſimum. Hæc quidem amaritudine, ac auſteritate conflata eſt, ciliciis induta, atque iis omnibus armata, quæ in pœnitentia magis aſpera ſunt, atque horrentia. Alii eam omnia faſtidientem ſibi fingunt, ſolitudinis amantem, honeſtiſſimarum voluptatum inimicam, quæ ſimul ac aliquod tectum ſubierit, inde ſtatim ſocietatem, ſolatia, & hilaritatem expellit. Agreſte illi temperamentum tribuunt, ita ut omnem oderit urbanitatem, ornatus omnes contemnat, pretioſam ſupellectilem abominetur, flammis ornatus omnes addicat, & lacrymis tantummodo alatur. Quid dicam amplius? exhibetur tamquam larva quædam macie confecta, quæ Templis numquam pedem effert, numquam in mundi lucem prodit, eos, quicumque acceſſerint, terret: ac mirum eſt, ſi devotio ita perſonata, atque his deformata coloribus nemini placeat, nullum habeat ſpectatorem? Inſigne facinus eſt ex re adeo præſtanti terriculamentum efficere. Immodicæ ſeveritates non minus ſcandalum adferunt, quam importunæ indulgentiæ; qui timidas deterrent animas horrentem illis devotionis graphidem proponentes, vel a recta virtutis via detorquent uſi imaginibus horrorem injicientibus ejus rei, quæ amabilis eſt, nihilo minus ſunt veræ pietatis inimici, quam qui illam laxioribus ſententiis impugnant. *P. le Moine in libro, cui titulus, la devotion aiſée.*

Devotio nequaquam inacceſſibilis eſt, quemadmodum nonnulli conantur obtrudere; ſublimes quidem regiones habet pro magnis animabus, quas ad eminentem perfectionem Deus vocat; at quaſdam humiliores etiam pro illis, quæ ægre per viam virtutis incedunt, ideoque non ſolum pro illis eſt, qui ſecularibus curis ſunt omnino expediti, verum etiam pro illis, qui domeſticis negotiis impediti ſunt, & omnibus officiis, omnibuſque vitæ communis neceſſitatibus vacant. Hi quoque, non ſecus ac Religioſi; ſalutem ſuam operari, beatamque æternitatem ſibi acquirere debent. Mundi impedimenta illos a Chriſtianæ Religionis officiis nequaquam ſolvunt; & Sancti cujuslibet conditionis, qui in cœlo ſunt liquido probant nullam eſſe conditionem, quæ ſanctificari non poſſit; maximas opes, magnaſque virtutes ſibimet non adverſari, atque e ſuperbis etiam regum ædibus in cœlum patere viam. Attamen numquam viſus fuit, neque videbitur unquam Sanctus religione vacuus. Nullus ergo Fidelis eſt, cui non ſit neceſſaria devotio; hæc enim virtus eſt, per quam omnibus Chriſtiani hominis officiis defungimur. *Idem.*

**Singulorum devotio ſtatui ſuo debet eſſe conformis.** Hac in re illud primum diligentius eſt attendendum, quod quilibet virtutis formam, atque devotionis menſuram ex ſtatus ſui muneribus, officiiſque deſumere debet; & quidquid huic formæ abnorme eſt, licet alioquin egregium, atque ſpecioſum; quidquid ab hac menſura recedit licet illam magnopere excedat, inanem eſſe ſupererogationem, Deo quidem nequaquam acceptam, ad perſonam vero devotam efficiendam inutilem. Hoc autem poſito, quot, heu, exercentur auſteritates, quæ tamquam actiones heroicæ putantur, & quæ facta ſunt importuna, ordinem tamtummodo perturbantia? Quot devoti, devotæque miracula ſe patrare putant, cum præſtigia operantur; aerem verberantes, ut loquitur S. Paulus, fatigantur, ſummo anhelitu currunt, & ſemper a meta recedunt, quia extra ſuum ſtadium currunt! Quot Templorum, Xenodochiorumque viſitationes illis inutiles ſunt, quæ domi manere, domeſticæque rei cura gerere debent! *Idem.*

Haud equidem ignoro, animas magis elevatas inveniri, quam vulgo ſint aliæ; quæ intra ſtatus ſui officia ſe minime continent, neque intra eos fines, quos lex indigitavit, ſubſiſtunt. Liberalem habent juſtitiam; atque operibus bonis cumulum addere quærunt; & niſi quæ debent, cum fœnore perſolverint, ſe munus ſuum adimpleſſe nequaquam putant. Verum hæc abundans juſtitia eam gratiæ affluentiam ſupponit, quę non omnibus datur. De communi agimus pietate, quę munerum omnium fundamentum eſt, & quæ obligat ſingulos ad quos extenditur. Quibus addendum eſt, ſupererogationes ex plenitudine proficiſci debere, neque ad conſilia progrediendum eſſe, niſi prius adimpleta fuerint mandata. Deus non recipit oblationes, quæ ex furto ſibi fiunt, & deteſtatur holocauſta, in quibus adeſt rapina. Unde inferendum eos evertere potius quam ædificare, qui naturales obligationes, ac legitima officia interire ſinunt, ut pro libidine nova ſibi officia, novaſque pias exercitationes comminiſcantur. *Idem.*

**Devotio moderate ſumenda.** Generale, atque perneceſſarium effatum eſt, devotionem accommodatam eſſe debere conditionibus, ac ſtatibus omnibus, eorumque officiis, atque oneribus parem. Quæ quidem ſententia pernicioſiſſimum errorem, atque illuſionem debet auferre, quæ efficit, ut tot exiſtant ignavi, ac profugi, qui devotionem excolere fatigantur, atque tot pavidi, qui eam amplecti detrectant, ne ſimiliter fatigati eam abdicare cogantur. Hæc illuſio eorum eſt, qui quod debent, non faciunt, ac meritum amittunt eorum, quæ ſupra ea, quæ debent, facere adnituntur; qui ea juſtitiæ temperantia, & ſapientiæ voluntate, de qua loquitur Scriptura, nequaquam contenti, majora aſſumunt onera, quibus ferendis non valent humeri, ac tandem ſuo pondere, quod ſubire voluere, franguntur. Id genus devotis, qui ſuo ſe impetu rapi ſinunt, ac feſtinanter curruht, cum pedetentim gradum proferre ſatis eſſet, ſuadendum eſt, ut ſatis eſſe putent eam ingredi viam, quæ in ſtatu ſuo patet; ſibi caveant, ne præpropero gradu feſtinent, neque longius præcedere velint, ne cupiditate inter cæteros emicandi ſe rapi ſinant; ne ea ſibi onera imponant, quæ & vires excedant, & officiis ſuis paria non ſint. *Idem.*

Altera in hac re illorum eſt illuſio, qui eminus majorem proſpicientes devotionem, quæ præ vulgari magis eniteſcit, atque illuc aſſequi deſperantes, ſeu quod illos viæ longitudo, atque aſperitas terret, ſeu quod detrectant illuc patienter per gradus contendere, omne prorſus devotionis genus relinquunt, & vulgaris, quæ non ſatis ampla, & præſtantioris, quæ nimis elata videntur. Inertibus his impatientibus, qui ignaviæ ſuæ inanes prætextus inquirunt, oſtendendum eſt, extraordinariam hanc devotionem, quam procul tantum proſpiciunt, & quæ illis elatior, atque perfectior videtur, eſſe fortaſſe viribus eorum minus aptam, ingenio minus accommodatam, & a ſtatus muneribus magis alienam: Fortaſſe quoque ad hanc a Deo illas nequaquam vocari, & gratiam ipſis conceſſam eo uſque nequaquam pertingere. *Idem.*

**Devotio non eſt rationi, legibus, probatiſque conſuetudinibus contraria.** Devotio non eſt vel rationi, vel legibus, vel conſuetudinibus, quas leges, & ratio probarunt, contraria. Itaque cum leges, & conſuetudines velint, ut viri principes, nobileſque, & qui ad regiam dignitatem proprius accedunt, vel in dignitate ſunt conſtituti, ornatioribus præfulgeant in togis; devotio aliquos patitur veſtium ornatus, ſub quibuſdam conditionibus, atque modis, quos & decor, & officium ipſum requirunt. Vult ornamenta hæc omni prorſus arte carere, atque immodicis curis, & adfectatis curioſitatibus interdicit; reſpuit eos cultus in quibus ſtudium, & nimia fulget elegantia, recentes indumentorum modos abhorret, qui ſua novitate commendantur, quibus nondum vel temporis præſcriptio, vel conſuetudinis approbatio, vel auctoritas acceſſit ex eorum, earumve conſuetudine, quos ſequi fas eſt, quin a virtute recedamus, & devotionem ipſam eorum cenſuræ objiciamus, qui mundum & ſequuntur, & diligunt. *Idem.*

Omnibus plane perſuaſum eſſe debet, in iis actionibus, quas nobis lex Chriſtiana præſcripſit, & quæ ad prima devotæ vitæ officia pertinent, nihil non facile inveniri. Nequaquam requiruntur ſublimia, ac mira facta, quæ niteant, & publicam in ſe admirationem convertant; verum opus eſt, ut diligenter ea fiant, quæ præcipiuntur, & communis juſtitiæ menſura ſedulo adimpleatur. Hoc illi præſtabunt, qui actionum meritum ponderare noverint, qui eas non in ſubciſivas horas, tempuſque ſolitudinis, mœroriſque remiſerint, qui in illis vitæ ſuæ optimam partem impenderint, qui ſibi perſuaſerint, ſe nonniſi per illas poſſe operari ſalutem ſuam, atque cætera quæcumque cum ſalutis negotio collata nugas, & ineptias eſſe crediderint. *Idem.*



**Devotio non inutilis, ut impii dictitant.** Impii, perditique mundi amatores dictitant devotionem inutilem eſſe, ac ad id unum prodeſſe, ut emolleſcant animæ, ac illis timor incedat. Ne dixeris inutilem virtutem eam, ſine qua virtutes reliquæ umbra ſunt; illi enim, cui devotionis habitus deeſt, & qui virtutes omnes ad Dei gloriam non refert, vera devotio non eſt. Ne dixeris inutilem virtutem eam, quæ Dei lenit iram, atque procellas ab Imperiis avertunt; virtutem, quæ Sodomam ab ignibus cœlitus delapſis liberaſſet, ſi decem tantummodo adfuiſſent vere juſti, qui cum Abraham, inſigne illud ſupplicium fuiſſent deprecati; virtutem, quæ toties Eccleſiam a naufragio prohibet; virtutem, quæ conſcientiam profunda pace, ac divino lumine replet. Ne dixeris per hanc fidelium animas emolleſcere, quippe harum illa virtutem confirmat, efficitque, ut ipſi occurrant morti, contemnant pericula, nihilque parcant iis in occaſionibus, in quibus Dei agitur gloria. *Ex Tractatu de Devotione.*

Nemo ſane ſatis exprimere poteſt negligentiam, qua Fidelium plerique pietatis exercitia, non ſecus ac cætera excipiunt, & mira tarditate ad illa procedunt; liquido patet, illuc non ſtudio, ſed conſuetudine rapi; huc enim tamquam ad penſum, atque laborioſum opus lento gradu veniunt. Quod autem ægre facimus, parcius, quam fieri poteſt, facimus; ideoque mundo vix horæ quadrantem ſurripimus, illum daturi Deo; quod ipſum ubi fecerimus, optimos Chriſticolas nos eſſe arbitramur. Cum preces effundimus, quippe quæ graves ſunt nobis, feſtinanter eas blateramus: eiſque abſolutis, oneroſiſſima ſarcina liberari videmur. Plerique preces lingua tantum revolvunt, corde in alia diſtracto; vel ſi qua in eodem impreſſio fiat, tantula eſt, ut brevi deleatur. Si preces indevotæ ſunt, numquid reliqua pietatis exercitia majori ſunt cum devotione conjuncta? Si Dei verbum auditur, aliqua ſane præbetur attentio, at non iis, quæ dicuntur, ſed formæ, qua dicuntur; & niſi placuerit concionator, minime auditur. Quanam vero devotione, immo quo tepore, ac frigiditate ad auguſtum Euchariſtiæ Sacramentum accedimus, ubi nobis Domini ipſius caro ad manducandum, ſanguis vero ad bibendum tribuitur? Qua majori devotione, & religionis ſenſu alia pietatis officia perſolvimus? *Idem.*

**Devotio non fugit innocuas voluptates.** Devotio lætitiæ inimica non eſt: patitur innocuas a nocuis voluptates ſecerni: neque ferox eſt, neque brutalis, ſed honeſta, urbana, comis, atque modeſta. Mollitiem quidem fugit, neque floribus redimitur, ſed neque ſpinis horrens, dirutaque videri gaudet. Verbo; neceſſe non eſt, Chriſtianum, ut fidelis ſit, in ſqualore, ac mœrore verſari; e contra pietas hilaris eſt, ac libera. Cor juſti juge convivium eſt, inquit Spiritus Sanctus; & Salvator in Evangelio vetat, ne truculentum, ac macie confectum oris habitum præferamus; immo præcipit ut jejunantes etiam, atque mortificatione corpus caſtigantes caput unguentis liniamus, cum palam prodituri ſumus, ad omnem pietatis oſtentationem evitandam. *Ex eodem Tractatu de Devotione.*

Summi viri præ ceteris & ſervorum caterva, & veſtium ornatu fulgeant, dummodo immodicus ille abſit exceſſus, qui hoc ſæculo late viget; verum illis oſtendendum eſt, glorioſius ipſis futurum, ſi miſeras has abdicaverint vanitates. Certum quippe eſt ac opinionem nullo umquam ſæculo fuiſſe pernicioſiorem. Sumptus erogare ſuæ conditioni pares juxta mundi conceptum idem eſt, ac omnem ſubſtantiam in luxum, ornamenta, ſervos, opiparam menſam, aliaque id genus impendere. Cum igitur nobili viro dicimus; ne inter cæteros ejuſdem conditionis diſtingui velit; conſtat profecto, miram hanc profuſionem probari, propter quam ille egenis opem ferendo, publiciſque calamitatibus ſubveniendo ſit impar. Dicant, quidquid velint; non credam ego tamen, aliquem vere devotum eſſe, donec inani mundi pompa refulgentem conſpexero. Veram fovere devotionem citra veram humilitatem nemo poteſt; ratio autem, quæ adfertur, propter quam tot inutiles ſumptus fiunt, nempe cuique, ut ſua conditio fert, eſſe vivendum, ex ipſa ſuperbia originem duxit. Verus Fidelis ſeipſum in ſemet conſiderat, & quatenus refertur ad Deum, ſcit, ſe pulverem eſſe, cineremque, neque ignorat hæc conditionum diſcrimina a Deo non admitti. Itaque anima quælibet vere devota immodicos hos ornatus, ináneſque ſumptus abjiciet, atque in bona opera erogabit. *Idem.*

**Leva judicia, quæ de devotis fiunt.** Nihil vulgatius eſt, quam judicia, ac iniqui ſermones, qui paſſim de hominibus pietatem colentibus habentur in mundo. Inter hypocritas rejiciuntur; hi ſunt falſi devoti, vulgo inquiunt, qui diligentius ſervant jejunia, qui frequentius ſacris interſunt officiis, qui aſſidue conciones audiunt, qui tanto devotionis apparatu ſuas preces effundunt, & ad Euchariſticam menſam accedunt. At numquid nos minus boni Fideles ſumus, quod minorem adfectationem præferimus? In nobis quidem invenitur, quidquid ſolidum pietati ineſt; illi inanem ejuſdem ſpeciem oſtentant. Fatendum profecto eſt, hypocriſim devotioni inſignem injuriam afferre. Non inficior, homines adeſſe, qui ſe devotos ſimulant: improbi non alio integumento frequentius, quam pietatis utuntur; ſed quod non deſunt hypocritæ ac pſeudo-devoti, idcirco inferendum eſt, nullos omnino devotos eſſe? Quia non deſunt adulterini adamantes, nulli veri adamantes invenientur? Quod nonnulli putant, ſe huic malo nactos eſſe medicinam, extrinſecus ſe devotos non eſſe adfectant; cum enim intrinſecus aliquo flagrent zelo ad hypocriſis ſuſpicionem evitandam, ſibi palam devotionem præſeferendam nequaquam eſſe arbitrantur. Verum hoc eſt ad malum evitandum in pejus ruere; ac ad duram neceſſitatem redigi, ut vel committatur ſcelus, vel in illius committendi occaſione jugiter ſimus, ſi poſtremum conſilium ſequamur. Sed facili negotio ſinceritas ab affectatione diſtinguitur; quantumvis parum mundi Sectatores hæc norint, numquam modeſtam pietatem, ſapientemque devotionem, quæ nonniſi per profundæ humilitatis nubem internitet, cum adfectata devotione confundent. *Idem.*

**Devotio eſſe debet in corde.** Alii Dei legem habent in mente, ut litterati viri, qui ſtudent, ut illam ediſcant, non exſequantur, alii in ore, & lingua, ut Phariſæi: *Dicunt, & non faciunt.* Matth. 23. Plurimi eam, in modeſto, devoto, mortificatoque oris habitu deferunt; & iſti ſunt hypocrytæ, contra quos Dei Filius tantopere declamavit; qui in quadam exteriori ſpecie immorantur, & dealbatis ſepulcris ſimiles externa facie, quæ quidem videtur innocens, depravatos mores abſcondunt. Sed vir bonus, inquit regius Propheta, homo vere devotus, legem Dei in ſuo corde tuetur: *Lex Dei ejus in corde ipſius.* Pſalm. 36. Hic proprius eſt ejus caracter. Ex cordis centro devotio ad omnes interioris, exterioriſque hominis facultates diffunditur; illius regit judicia, exiſtimationem, intentiones, greſſus, intuitus, voces; omnes ejus actiones, cogitationes; conſilia recta erunt, & æqua; vita illius frugi erit, & numquam virtutem inter, ac vitium mutare videbitur. Cur autem? Eamdem ſemper ob cauſam, quia *Lex Dei ejus in corde ipſius. P. Girouſt. Serm. de vera, falſaque pietate.*

Tertullianus, cum Ethnicis exprobraſſet, illis quidem ſatis eſſe, ſi extrinſecus aliquam virtutis ſpeciem ferrent præ ſe, quin negotium faceſſeret, utrum reipſa virtutem excolerent, ita in Fidelium favorem ſermoni finem imponit. Nos omnem juſtitiam exercemus, eamque in nobiſmetipſis ſervamus; vivimus enim ſub oculis Legislatoris, qui corda noſtra ſcrutatur, & ſub manu Judicis omnipotentis, qui nos ubique & percutere, & perdere poteſt. Omnia ad eam tuendam nos adigunt, perſequitur ille: & luminum Dei copia, & latendi impoſſibilitas, & impendentis æterni ſupplicii conſpectus; hæc ſunt occulta chriſtianæ pietatis artificia. At numquid illa ſunt pietatis noſtræ principia? Numquid agimus, eo quod fideliter adheremus Domino, cui famulamur? quod illius legem ſancto amore proſequimur? quod illi placendi ſincero ſtudio flagramus? quod illius erga nos beneficiis gratias habemus? an ſaltem quod illius judicia metuimus, vel præmia expectamus? Nonne ſimiles ſumus populo illi, qui labiis tenus Deus honorabat, dum cor illius procul eſſet ab eo? Nonne inter nos corruptiſſimum Judaiſmum revocamus? *Idem.*

**In iis, quæ ad pieta-** Ut Deo placeamus, res velle debemus eo ordine, quo Deus illas vult; ipſius enim voluntas noſtræ